

trium ita transferens: *Siehe er ist in euren Händen, denn der König kann nichts wieder euch.* Sic etiam DRVSIVS d) et SPANHEMIVS e) dominum nostrum Iesum Christum hanc Synedrii magni singularem iurisdictionem in PROPHE TAM spectasse existimant, dum inquit: f) *ἐν ἐνδεχεται προφητην ἀπολεσθαι ἐξω Ἱερουσαλημ*, quia summi huius Senatus sedes Hierosolymis constituta erat. HIERONYMI g) autem sententiam, quam habet: *constituti erant in populo Iudaeorum sacerdotales gradus, qui Prophetas Pseudopphetasque discernere, h. e. intelligere, qui de Dei Spiritu loquerentur, qui de contrario, ideo reiiciendam esse censet* h) SELDENVS, quia, ut inquit, *sacerdotium ad hanc rem discernendam graduum apud Magistros, ne uestigium quidem alibiue comperio.* Ne igitur nobis hac in quaestione dubium quoddam remaneat, addeamus ipsos Iudaeorum DOCTORES, seu IVRE CONSULTOS, hi enim legem, quam supra citauimus, latam in alio *codicis סנהדרין* loco i) amplius nobis exponunt: *נביא השקר המתנבא על מה שלא שמע ומה שלא נאמר לו מיתתו כירי אדם אכל הכובש את נבואתו והמוותר על דברי נביא ונביא שעבר על דברי עצמו מיתתו כירי שמים שנאמר אנוכי אדרוש מעמו* *Vates mendax qui uaticinatur ea, quae non audiuit, et quae ipsi dicta non sunt, huius mors est in manibus hominum. Ille uero, qui uaticinium suum supprimit, uel uatis cuiusdam uerbis aliquid addit, aut sua ipsius uerba non obseruat, per manum Dei morietur, sicut dictum est: ego requiram*  
*ab*

d) in Praeterit. ad Matth. XXIII, 37. et Luc. XIII, 33.

e) in Dubiis Euangelicis, Part. III. Dub. CXXXIX. p. 301.

f) Luc. XIII, 33.

g) in Comment. in Iesaiam Lib. II. Cap. III.

h) Libr. III. de Synedriis Hebraeorum, Cap. VI. p. 48.

i) Cap. XI. §. 5.